

6

AB
51 $\frac{9}{i,16}$



00

n

D. g. 54

X⁴¹⁰
~~W. 3. 259.~~





Handwritten text in a Gothic script, likely a marginal note or a page number, located on the right edge of the page. The text is written in black ink with some red initials or rubrics.



LYCIDAS

EIDYLLION GENEALOGICVM.

ILLVSTRISSI-
MIS PRINCIPIBVS

DOMINO D. IVLIO PA-

TRI, ET DOMINO D. HENRICO IVLIO

filio, Ducibus Brunsvig. & Luneburg: etc. domi-

nis suis clementissimis, in publica festiuitate

nuptiali honoris & gratulationis er-

go conscriptum,

A IOHANNE SECCERVITIO

professore Gryphiswaldensi.



ROSTOCHII.

TIPIS AVGVSTINI

FERRERI.

Anno M. D. LXXVII.

EIDYLLION

Lycidas, Damon.



Ortè sub herbosis ad Pani flumina ripis,
In nemus, & densis leporum virgulta ve-
pretis,

Conuenere pares annis, studioq; canendi,
Alter Brunsvigum Lycidas aduectus ab oris,

Setosos validi ferrata cuspide conti

Sternere doctus apros, & retia ponere ceruis:

Alter ibi patrijs Damon piscator in undis,

Anguillis leuibus, percisq; infestus acutis,

Et quandoq; decus si fors bona tale dedisset,

Grandes Siluros in retia trudere doctus.

Tum Damon prior: o nostris gratissime syluis, Da.

Syluis fluminibusq; hospes gratissime nostris:

Quandoquidem (vt video) collo tibi fistula pendet,

Huc mecum paulisper ades, ne frigora lædant,

Ipsè focum tædis adolebo sub arboris umbra.

Et dabit hic lenta tornatus cantharus orno

Pocula Pasualci nobis generosa liquorem.

Qualem nostra bibit gens Rheni nectaris instar.

Interea patrijs aliquod mihi carmen ab oris

Cantando referes, Dryadum quod mulceat aures.

Audio nam, tellus præstantes arte canendi

Vestra tenet: mihi sic domitor Alcippus equorum

Rettulit, hesternæ lætus cum nocte sederet,

Falleret & mecum dulces sermonibus horas.

O Damon

L 57

O Damō, idē Alcippus mihi commoda de te Lyc:
Rettulit, ingeniumq̄ tuum, studiumq̄ probauit.
Idcirco has ripas, hæc ad virgulta recepi
Me cupido gressu, quò te cognoscere possem,
Et tecum cantu iucundum condere solem.

Imò age, si talis nostro tibi rure voluptas, Dam.
Nec sordet mea ripa, tuum nunc incipe carmen:
Si quas Heroum laudes (vt sæpe soletis)
Aut si quos Dryadum medijs in saltibus ignes
Obtulit: & saltus quoniam penetrauit in altos
Igne proteruus Amor, longeq̄ volante sagitta

Hætenus hæc Damon: Lycidas tunc altius orsus,
Guelphorum celsam referens ab origine stirpem,
Heroumq̄ canit laudes, & prisca suorum
Fæcta Ducum, nostrasq̄ ingentia nomina ripas,
Cæruleasq̄ docet Pani resonare Napæas.

Te primum Vitikinde refert, qui fortibus armis
Francorum regem per bis duo lustra fatigas.
Inde sed ætherio lustratus dogmate Christi,
Et pacem pariter, & relligionis amorem
Accipis, & placido ritu sacra fædera seruas.

Inde sed Henrici partum decus aucupis armis,
Armaq̄, sceptraq̄ Romuleum frenantia Tybrim,
Virtutesq̄ viri memorat, laudesq̄ togatas.

His addit te laude pari fidissime Bruno,
Qui das auspiciū, præclaræ nomen & Vrbi,

Quæ diues populis, tectis, & mœnibus amplis
Quinque fora, & totidem distinctos iure Senatus
Vna tenet, fluuiôq; abluta secatur Onacri.
Tu cum terribiles ruerent latè omnia ferro
Normanni (Christi tum gens ea nominis expers)
Pro pietate, focis, patrijsq; audentior aris,
Collectaq; manu properas inuadere casus
In medios, & sæua grauis discrimina pugnae,
Siue mori, iusto seu vincere Marte paratus.
Sed te fata malis, Deus & miseratus ab alto
Eripuit, sanctamq; dedit per vûlnera mortem,
Vt Christi occumbens generosis miles in armis
Ætherias arces, ac cœlica sceptrâ referres.

Mox & sublimes regnis, & Marte verendos
Enumerat Guelphos: & te fortissime cantu
Tollit ad astra Leo. tu Noridos oppida terræ,
Boiugenumq; regis populos, tu sceptrâ per omnem
Saxoniam geris insignis ditione potenti,
Teq; labor Martis varius, te nulla fatigat
Cura animi, magnoq; inuictum robore pectus
Omnibus opponis fortunæ casibus Heros.

Hinc Otho promeritus Romanæ sceptrâ coronæ:
Multa tamen casu sortis luctatur iniquæ,
Pontificum rabie, tristici exercitus ira.
Teutonicæ semper quæ Regibus æmula pressit
Imperium, clausitq; viam virtutis in hostes

Carba

Barbaricos Asiae populantes optima regna.

*Et nunc alter Otho laudis consurgit auitæ
Dulce decus, titulosq; novos, fuluosq; leones
Accipit, Anglorum tulerat quos primus ab oris
Fortis auus, pignus memorabile nominis alti.*

*Tum canit Albertum quo non mansuetior alter,
Si sinerent fastus, sanctiq; licentia iuris
Contemtrix. quod tantum animis genus acre luporum
Concipis audendi facinus? viresné laceßis
Longè alias, causæ & rebus melioribus impar?
Euigilat Leo fuluus, & altas suscitât iras:
Iamq; iubas, caudamq; quatit, iam fulminat ungui,
Diruit antra lupi, patrioq; expellit egentem
E nemore, & victum miseranda sorte coëret.*

*Filius hunc sequitur, qui nomine dictus eodem
Corpore pinguis erat, sed mens subtilis agendis
Rebus, & arte suos norat frenare rebelles.*

*Te quoq; nunc laudi veterum coniungit Othonum,
Nomen idem referens qui fortibus inçlytus ausis
Ausonias sequeris Mauortia bella per oras.
Nec non Herculei meritis noua sceptrâ Tarenti,
Reginæ virtute tenes insignis amorem.*

*Postmodò fœlicem fatis, & nomine Magnum
Augeat opum censu, geminoq; imponit honori.
Illum Nobilitas læto vocat omnis amore,
Virtutemq; viri studijs communibus ambit,*

Et quæ Brunsvigum domus, & quæ mœnibus altis
Consurgunt arces, ac pyrgum nobile Luna.

Sed non auspicijs Natus felicibus æquè
Virtutemq; patris, partumq; tuetur honorem.
Mens animosa nimis, rebusq; elata secundis
Sæpe trahit magnas Regumq; Ducumq; ruinas.

Additur hîc iusto Fridericus pectore Princeps,
Nulli consilijs, nulli pietate secundus,
Dignus & imperio, cui iam delegerat illum
Concilium sublime Ducum, sacriq; Senatus
Teutoniæ. sed res fato turbata, bonusq;
Occubuit Princeps, medios delapsus in hostes,
Omnia pacatum per iter cum tuta putaret.
O furor inuidiæ, quid te manifestior vrit,
Semper & insidijs, fraudiq; obnoxia virtus
Liuentes oculos stimulis irritat amaris?
Non impunè tamen passi miserabile fratres
Exitium, Martemq; vocant, & Marte reposcunt
Ad pœnam crudele nefas: date funeris umbris
Inferias: validam mihi sternite funditus arcem.
Nec mora, iam bello profugos egere pauendo.
At non effugient supremi Vindicis iram.

Tum tres magnanimos florenti stirpe recenset
Henricos: quorum vitam postremus agebat
Imperij magno motis discrimine rebus,
Ergò multa tulit bello atq; ingentibus ausis

Partis

Partis amore suæ: tandem meliora secutum
Auspicia, & patriæ communia iura tuente, n
Ingenti permista premit victoria luctu
Tum geminam amittens cumulato funere prolem
Ardet adhuc tamen, & mærore incensus, & ira
Vindictam parat, & fugientem feruidus hostem
Insequitur, quæ fors aditum, virtus uæ capeßat.
Fœlix si pacem, si relligionis amorem,
Quam tu Christe doces, primis amplexus ab annis,
Plus quàm Romulei coluisset dogmata vatis.

Sed Deus in melius qui dirigit omnia fato,
Atq; pios mouet ipse Duces, tollitq; fouetq;
Talia iam dudum euentu correctæ secundo
Restituit, nobisq; pium tu sydus ab alto
Exoreris, Iuli, rebus seruate serenis
Post tempestates dubias, post sortis iniquæ
Nubila. tu Patriæ tandem Pater optimus ille es,
Qui placidam reddis tranquillo pectore pacem
Teq; tuosq; opibus, quas pax optata colonis,
Pax etiam cultis gratissima ciuibus auget,
Iustitiãq; tuas ornas ac legibus vrbes:
Et dulces Musas iuris, legumq; sorores,
Munifico censu dotatas, sede reponis
Palladia, claroq; sacras noua iura Lyceo.

Quæ fuit errorum priscis fœdata tenebris
Religio, sapuit nec puro dogmate Christum,

Sed magis Ausonij iactabat somnia Papæ,
Vindictæ locum deteresa sorde recepit,
Et resonare iubet verbum sine labe salutis
Per populos Dux celse tuos. tibi patria debet
Brunsvigum regnata Ducum sub nomine tellus,
Quicquid sacra Syon olim, Iudæaq. tellus
Debit Ezechia, quo Regum è stemmate nemo
Sanctior, aut zelo grauior pietatis, & astu,
Omnia diuino qui posthabuisset amori.

Fortunate Pater patriæ, fidissime Princeps,
Præsidiumq. decusq. tuæ memorabile gentis,
Vive Deo carus, tutelaq. prospera tecum
Sit Superum, ac vigili semper te protegat ala:
Ut fuit Ezechias defensus Numine Diuum,
Cum trux nequicquam crudelia bella moueret
Senribes, Solymas arces, ac vertere fundo
Templa Dei, dudum scelerata voce minatus.
Sed cecidere virum diræ tot millia gentis,
Vnius aligeri, per noctem, cæde ministri,
Qui Solymis vindex supera demissus ab æthra
Venerat, ingenti percussis turbine rebus.

O magni heroes patriæ, tuq. optime Iuli
Nunc etiam cælo sperare audete salutem.
Victricemq. manum: quamuis fera bella minantur
Vndiq. Threiciusq. fremens immanè tyrannus
Exitio dare cuncta parat: te nomine primum

Christe

Christe tuo, post insignes cum legibus vrbes,
Cum populis, regnisq; & libertate bonorum
Teutonicum, quos prisca tulit super æthera virtus.

Postremum Lycidæ, nemorum plaudentibus auris,
Carmen erat, totoq; Henricus Iulius amni,
Qui geminum Patris, & magnorum nomen auorum
Indole, præstantiq; tenet virtutis amore,
Henricus ripis, Henricus Iulius undis,
Per Dryadumq; choros, vdasq; sub amne Napæas
Nomine dulce decus, dulcem ingeminabat amorem,

Tu gremio Aonidum teneris eductus ab annis
Egregium morum decus, & pietatis amorem
Artibus adiungens, & culti dotibus oris,
O te quale tuis maturo pectore lumen
Ostendes populis? iam nunc schola Iulia nomen
Virtutemq; tuam miro veneratur honore:
Et te læta suis condet per secula fastis.

Et nos, qui canibus quondam lustramus anhelis
Froncentes nemorum saltus, Dryadumq; sub vmbra
Gaudemus cantu defessi, & frigore opaco,
Sæpe tuo dulci complentes nomine sylvas
Alternis aliquid cornu meditamur adunco.
Tu venatores, animosis comminus vrsis,
Vulnificisq; apris ferro qui spicula spargunt,
Panaq; pastoresq; suo sub iure fouebis,
Grataq; mitis ales sylvestribus otia Faunis.

Quid

Quid quantum Pallas, quantum te robore Mauors
Induit ipse suo, & magnum fore spondet in armis?
Quid tum, si venator agens nunc prælia ceruis
Misceo, setosumq; femur mea dextera sæui
Figit apri? quondam noster si Martia Princeps
Bella geret, seu Teutonæ communibus hostem
Viribus arcebit gelidoq; fugabit ab Istro,
Barbara nunc Rheno iuga qui minitatur & Albi:
Seu quodcunq; nefas armis insignibus vltor
Exiget, & laudis memor, & virtutis auitæ,
Præclaris patriam tendet cumulare trophæis:
Ipse ego me comitem casus haud segnis in omnes
Mente paro: videorq; mihi iam casside cinctus,
Iamq; acri prouectus equo fera bella ciere,
Et nitro rapidisq; globos dispergere flammis.


Sic Lycidas: læto referebat pectore Damon. Dam.
Egregium verò genus, atq; heroibus ortum
Magnanimis, quorum memorasti stemmata cantu,
Gratulor insigni Diuûm quod munere Sponsa
Principis in nostri thalamos & fœdera venit.
Et noster Princeps cantari dignus auito
Stemmata, seu dignis præclari stemmatis ortu
Laudibus. hæc medio noster velut æquore Cymon
Sæpe canit, Tethys quem cœrula, quemq; secutæ
Nereides, pelago miratur & vnda quieto.
Illius hæc nobis insignis fistula dono

Contigit

Contigit, electri pretioso facta metallo.
Hæc tibi nunc pretium diuini carminis esto,
Hæc etiam nostri benè longum pignus amoris.
Interea Sponso, & vestris quæ venit ab oris.
Regali Sponsæ pariter, quæ digna, precemur.
Iamq; Ducum domus amborum se fœdere firmo
Martia Brunsvigum domus, & Pomerana vicissim
In nexus, sociumq; arctè constringat amorem.
Ut piscator ego nunc venatoris amore
Ecce tui teneor, vestras ut flumina sylvas
Semper amant, nostra irriguæ sed flumina ripæ.



Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.



51 $\frac{9}{4,16}$

X 198 6537



N.





LYCIDAS
EIDYLLION GENEALOGICVM.

ILLVSTRISSI-
MIS PRINCIPIBVS
DOMINO D. IVLIO PA-
TRI, ET DOMINO D. HENRICO IVLIO
filio, Ducibus Brunsvig. & Luneburg: etc. domi-
nis suis clementissimis, in publica festiuitate
nuptiali honoris & gratulationis er-
go conscriptum,

A IOHANNE SECCERVITIO
professore Gryphiswaldensi.



ROSTOCHII.
TYPIS AVGVSTINI
FERBERI.

Anno M. D. LXXVII.

